

## Abromeitia,

Myrsinacearum novum genus describitur

auctore CARL MEZ.

Flores dioici, non nisi foeminei fructiferique cogniti, 5-meri. Sepala in discum patentem fere medium usque connata, lobis apertis, triangularibus, acutis, haud punctatis. Petala ad  $1/5$  longit. in tubum latissime infundibuliformem connata lobis apertis, per anthesin rotato-patentibus, coriaceis, glabris nec papillosis, haud manifestius punctulatis, lingulatis, symmetricis. Stamina floris foeminei jam pridem deglorati absque ullo dubio reducta steriliaque, ut videtur annulo carnosio papillosoque (Discocalycis ritu) insidentia; antheris quam petala permulto brevioribus, triangularibus basi late sagittatim incisis; filamentis permanifestis fere antherarum longitudine. Ovarium cum stylo et placenta ignotum. Fructus quam maxime singularis omnino complanatus disciformisque ala latissima suberosa, punctis multis crassisque partim breviter lineatiformibus picta cinctus; endocarpio osseo; semine unico, depresso, membrana brunnea induto; albumine corneo, haud ruminato.

Arbuscula squarrosa. Folia in ramulorum apicem comatim conferta, optime petiolata, haud manifestius glandulosa. Fructus rosei.

Genus persingulare, haud satis notum sed absque ullo dubio fructibus a reliquis Myrsinacearum formis omnibus quam maxime recedentibus egregie distinctum, mea ex sententia Discocalyci associandum.

Viro clarissimo J. Abromeit, florum borussicae auctori, collaboratori caro, dedicatum genus.

## Species unica:

Abromeitia pterocarpa Mez nov. spec. - Arbuscula usque ad 5-metralis ramulis percrassis, tortuosis, cum gemmis glabris. Folia petioliis usque ad 20 mm longis, vix canaliculatis stipitata, elliptica vel obovato-elliptica, basi sensim cuneatimque acuta, apice breviter et saepius latiuscule acuminata, integerrima, rigida, glabra, supra laevia subtus prominulo-costulata, ad 0,16 m longa et 65 mm lata. Inflorescentiae e ramulorum partibus apicalibus laterales. squamis deciduis suffultae, ut videtur pauciflorae racemosaeque; pedicellis fructiferis crassiusculis, ad 5 mm longis, subpatentibus. Flores rotati, 6 mm diam. metientes; sepalis vix 1 mm longis, crassiusculis carnosulis, glabris nec margine ciliatis; petalis item carnosis, apice anguste rotundatis nec ullo modo emarginatis. Fructus planus, glaber, suborbicularis, 15 - 18 mm latus, endocarpio subgloboso ad 5 mm diam. metiente in alae circumcirca aequilatae medio prominulo.

Neu-Guinea, Kaiserin-Augusta-Fluss-Expedition, Hunsteinspitze (Ledermann nr. 11185, herb. Berlin).

# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Botanisches Archiv. Zeitschrift für die gesamte Botanik](#)

Jahr/Year: 1922

Band/Volume: [1](#)

Autor(en)/Author(s): Mez Carl Christian

Artikel/Article: [Abromeitia, Myrsinacearum novum genus describitur 100](#)